



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiæ, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniæ Agrippinæ, 1657**

Cap. II. Forma Professionis Fidei Catholicae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

17

# CONSTITUTIONVM ET DECRETORVM SYNODALIVM DIOCESES OSNABRUGENSIS PARS PRIMA.

## C A P V T . I.

*De Religione & Fide Catholica, ejusque Professione.*



<sup>1</sup> Rom. 5.  
<sup>2</sup> Conc. Tri-  
dent. Sess.  
6. c. 8.  
<sup>3</sup> D. Paul.  
ad Hebr.  
c. II.  
<sup>4</sup> Rom. IO.  
verf. IO.  
<sup>5</sup> Conc.  
Nic. Conc.  
Rem. sub  
Julio I.  
Conc. Hip-  
ponen. in  
princ.  
Concil.  
Conf. 6.  
act. 17.  
Can. Ma-  
gnum. c. 1.  
Can. ante  
viginti,  
cum seqq.  
de conser.  
diff. 4. c. 1  
De Sum-  
ma Tri-  
nit. Eccl.  
<sup>6</sup> Cont.  
Trid. Sess.  
<sup>7</sup> c. 25.  
can. 2. de  
tempo-  
rum.  
<sup>8</sup> Ephes. 6.  
<sup>9</sup> II. 9. 3.  
qui resis.  
, Matth.  
c. 16.  
verf. 18.

Vandoquidem ex-  
ulceratissimo hoc  
seculo , & hære-  
scion feracissimo ,  
tam variae atque  
dissecta in Reli-  
gione sunt opinio-  
nes, ut vel maxime  
locus sit antiquæ  
illi B. Hilarii ad Constantinum querimonie,  
qua deplorat, tot esse fides quot voluntates,  
tot doctrinas quot mores , dum aut ita fides  
scribuntur ut volumus , aut ita ut volumus in-  
telliguntur; Merito in hanc curam præ cæteris  
hi incumberé debent, quibus, ex pastorali offi-  
cio, cura animarum est commissa; ne ii, quibus  
sunt prepositi , in fide aberrent, aut in pietate  
& sanctæ Religionis zelo intepescant ; verum  
ardore ejus magis quotidie inflammentur ; er-  
raentes vero , & hæreticâ labe infecti, ad Domi-  
nici gregis unionem revocentur, ac verbo Dei  
fanentur & confirmentur.

2 Omnia certe virtutum, actionum bo-  
norum , & meritorum , basis , fundamentum,  
ipsiusque justificationis prima radix & origo,  
vera est Fides, ut, dicente Apostolo <sup>2</sup>, impossibile  
sit sine Fide placere Deo ; dum, ut idem  
alibi asserit, <sup>3</sup> corde creditur ad justitiam, ore  
autem confessio fit ad salutem ; adeo ut præ-  
clarè majores consueverint actiones suas, præ-  
fertim <sup>4</sup> Conciliares & Synodales , si de Fide  
moribusque agendum esset , à Fidei protestatione  
ac professione ordiri ; quam etiam de-  
mum SS. Conc. Trid. <sup>5</sup> actionibus omnibus  
Synodalibus , aliisque gravioris momenti ne-  
gotiis , præmittendam censuit , ut esset tan-  
quam scutum <sup>6</sup> inexpugnabile contra omnes  
hæreticorum afflitus , ac fundamentum fir-  
mum inconcussumque , contra quod portæ  
<sup>7</sup> inferi prævalere non possent.

3 Quare, cum dictum Conc. à Prædecessoribus recol. mem. Iohanne ab Hoya, & Itelio Friderico Cardinale Zollerano, promulgatum receptumque fuerit ; placet quoque, ab hac libera apertaque Fidei Catholicæ professione præsentem inchoare Synodus , camque , in ipso statim limine propositam , variis novatorum Confessionibus seu confusionibus oppo-  
nere : volentes , & mandantes omnibus & singulis nostris fidelibus subditis , Ecclesiasticis ac Secularibus civibus , Officiatis ac incolis Civitatis & Dioecesis Nostræ Osnabrugensis utriusque status & sexus , ut hanc Fidei veritatisque regulam teneant, nec omni vento do-  
ctrinæ se jactari aut circumferri patientur.

4 Quinam vero ex Clero, subditis nostris  
& Officiatis ac Iurisdictioni Nostra subjectis,  
quo tempore ac loco, hanc professionem ex-  
pressam, edere debeant, c. 3 describetur.

5 Formula autem Fidei, in Concilio Trid.  
sapientissime concepta , quam ex sacræ Apo-  
stolicæ autoritatis præscripto usurpari ab  
omnibus & singulis volumus, sic se habet.

## C A P . II. *Forma Professionis Fidei Catholice.*

E Go N. N. firma fide credo & profiteor  
omnia & singula , quæ continentur in  
Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia  
utitur ; videlicet :

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem , Creatorem cœli & terræ , visibilium  
omnium & invisibilium. Et in unum Dominum  
noscum Iesum Christum , Filium Dei  
unigenitum ; & ex Patre natum ante omnia  
facta ; Deum de Deo , lumen de lumine ,  
Deum verum de Deo vero ; genitum non fa-  
ctum, consubstantiale Patri, per quem omnia  
facta sunt. Qui propter nos homines, & pro-

B 3 pter

pter nostram salutem descendit de cælis : & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine. Et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato , passus & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in cælum, sedet ad dextram Patris. Et iterum venturus est cum gloria, judicare vivos & mortuos ; cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum & vivificantem : qui ex Patre Filioque procedit , qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur : qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam , Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum ; & vitam venturi seculi. Amen.

Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones , reliquasque ejusdem Ecclesiæ obseruationes & constitutiones , firmissime admitto & amplector.

Item S. Scripturam , juxta eum sensum , quem tenuit & tenet S. Mater Ecclesia , cuius est judicare de vero sensu & interpretatione SS. Scripturarum, admitto : nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum, accipiam & interpretabor.

Profiteor quoque, septem esse vere & proprie Sacraenta novæ legis , à Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria ; scilicet Baptismum , Confirmationem, Eucharistiam , Pœnitentiam , Extremam Vunctionem, Ordinem, & Matrimonium : illaque gratiam conferre : & ex his Baptismum, Confirmationem & Ordinem , sine sacrilegio reiterari non posse.

Receptos quoque & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemini administratione , recipio & admitto.

Omnia & singula , quæ de peccato originali , & de justificatione , in SS. Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt , amplector & recipio.

Profiteor pariter , in Missa offerri Deo verum, proprium & propitiatorium sacrificium pro vivis & defunctis , atque in sanctissimo Eucharistia Sacramento esse vere, realiter, & substantialiter Corpus & Sanguinem , una cum anima & divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in Corpus , & totius substantiæ vini in Sanguinem: quam conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat.

Fateor etiam , sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo , Purgatorium esse , animasque, ibi detentas, fidelium suffragiis juvari; Similiter & Sanctos , una cum Christo re-

gnantes , venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre , atque eorum Reliquias esse venerandas.

Firmiter assero , imagines Christi ac Deiparæ semper Virginis , nec non aliorum Sanctorum, habendas & retinendas esse ; atque eis debitum honorem & venerationem imperiendam.

Indulgientiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia reliquat fuisse , illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse, affirmo.

Sanctam, Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam , omnium Ecclesiarum Matrem & Magistrum agnoscō ; Romanoque Pontifici , B. Petri Apostolorum Principis successori , ac Iesu Christi Vicario , veram obedientiam spondeo, ac juro.

Cætera item omnia , à sacris Canonibus , & cœcumenicis Conciliis , ac præcipue à sacro-sancta Tridentina Synodo, tradita, definita & declarata , indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque hæreses qualcunque ab Ecclesia damnatas, rejectas, & anathematizatas , ego pariter damno , rejicio & anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem , extra quam nemo salvus esse potest , quam in præsenti sponte profiteor & veraciter teneo , candem integrum & immaculatum, usque ad extremum vite spiritum constantissime (Deo adjuvante) retinere & confiteri , atque à meis subditis , seu illis quorum cura ad me in meo munere spectabit , teneri , doceri , & prædicari, quantum in me erit, curaturum ; ego idem spondeo , voveo , ac juro. sic me Deus adjuvet , & hæc sancta Dei Euangelia.

### C A P. III. Professio Fidei à quibus facienda sit ?

**I** O Mnes in Cathedrali nostra Ecclesia , vel alia quavis Collegiata , per Civitatem & Diocesin nostram , ad Dignitates, Archidiaconatus, Personatus, Canoniciatus & Beneficia, tam Curata quam non Curata, & officia publica, admittendi, Fidei Catholicæ professionem præmittant.

**2** Idem faciant Monasteriorum & Regularium Ordinum Pralati & Superiori , antequam suis officiis fungantur ; & eorum subditi , cum curæ animalium aliquisque functionibus publicis, ut audiendis confessionibus , aut concionibus habendis, destinabuntur.

**3** Item omnes nostri Officiati , Consiliarii, Drossati, Secretarii, Goegravii, Iudices, Quæstores, Advocati, Procuratores, Scribæ quorumcunque judiciorum , Ludimagistri, Æditi, seu Custodes , Vogerti , & alii, ad similia officia quæcunque assumendi.

**4** Item Consules , Scabini , ac quicunque de Magistratu ac Curia , & in officiis publicis Civi-

Conc. Tr. &  
dent. Sess.  
24. c. 12.  
de ref. &  
Sess. 25.  
c. 2. de  
refor.